



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cornelii Iansenii Episcopi Iprensis Avgvstinvs

In Qvo Genuina sententia profundissimi Doctoris de Auxilio gratiæ medicinalis Christi Salvatoris, & de prædestinatione hominum & Angelorum proponitur, ac dilucidè ostenditur

Jansenius, Cornelius

Lovanii, 1640

62. Secunda: Vt à peccato purgemur voluntatem nostram Deus exspectat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13704

experimentum claribus indicat, Cassianus de actibus quidem naturalibus, qui tamen per gratiam primi hominis, qualem Scholastici isti norunt, fierent, loquebatur; ut supra non nihil, & alibi latè demonstratū est: isti verò Scholastici de illis actibus bonis, qui absque omni omnino gratia, non solum Christi Salvatoris, sed etiam primi hominis, per puras naturæ perditæ vires profertur: à eiusmodi bonis actibus Massilienses isti plerumq; horruerunt. Quapropter quantum gratia primi hominis humanam naturam superat tantum hallucinationis en route Massilienses à recentioribus nostris sperantur.

NOTA LXI.

Multa propositiones apud istosq; vera. Prima: Gratia non sibi subiecit humanam voluntatem.

Iam verò ex his que diximus funditus illam propositionem damnatarum, sensus intelligitur, de quarū aliquibus superius non nihil locuti sumus. Prima est, quod *Voluntas hominis divina gratia sibi pareret opem; non gratia humanam subieceret voluntatem.* Significabat enim Massilienses, voluntatem hominis, cum naturali libertate, quamvis cum gratia sine qua non, credebat Deo, efficere ut ea sine occasione, sine colore, sine merito, Deus gratiam illam Christi largiretur, qua voluntas ad incrementum fidei, virtutesque omnes Christianas, Deo donante peringeret. In qua sanè sententia gratia Christi non subiecit sibi voluntatem, sed illa iam ante subjecta Deo, gratiam sibi ipsa sua potestate pariebat. Loquuntur enim de illa vera gratia medicinali Christi Salvatoris, quam solum vel penè solum, Augustino teste, universæ Scripturæ & Ecclesiastica monumenta prædicare videntur.

In qua quidem priore sententiæ illius parte, recentiores isti Massilienses dissimiles plane sunt. Nam quia veram illam Iesu Christi medicinalem gratiam non aliter norunt, quam ut oppugnent & expugnent, nonquam etiam in illorum sententia, voluntas hominis divinæ gratiæ sibi parit opem, ut potè ejus nunquam se indigere profitentur. Miseram enim voluntatem suam tantà libertate utrimq; præditam putant, ut cum sola illa Adami & Angelorum gratia, que nullo pacto est Christi medici & Salvatoris auxiliū, se non solum credere, ut Massilienses, sed & diligere Deum, & omnia omnium virtutum opera se perficere posse auderentur. Ex quo nascitur, ut propositionis quoque istius pars posterior, in istorum opinione non secus ac Massiliensium, verissima castissimaq; sit. Nonquam enim apud ipsos gratia sibi humanam subiecit voluntatem. Non illa Adami, quia illa nunquam habet, aut habere potest hoc officij, cum nihil tribuit, nisi *posse velis*, & ipsa voluntas gratiam subiecit sibi: non vera Christi gratia, quia illam quam possunt remotissime ab omnium fide & sententia exterminant.

NOTA LXII.

Secunda: Ut à peccato purgemur voluntatem nostram Deus expectat.

Altera à Massiliensibus asserta & à Concilio Arausicano damnata propositio est, quod, *ut à peccato purgemur, voluntatem nostram Deus expectat: non autem, ut etiam purgari velimus, per sancti Spiritus infusionem & operationem in nobis fiat.* Quod eo sensu asseriebant, quia celesabant impetiri nolle Deum infidelibus peccatorum purgationem, sive remissionem, nisi prius possibilitate seu libertate naturali crederent, eo modo quo istud Massilienses cum gratia Adami fieri posse statuebant, ut supra declaratum est.

Idem omnino recentiorum opinio vel certum & in confesso statuit. Neque enim putant, haud secus ac Massilienses, per S. Spiritus infusionem, & operationem fieri, ut velimus; quasi Deus per verum adiutorium medicinale Christi Salvatoris ipsum velle largiretur; sed per auxiliū sine quo non operari tantum modo posse si velit, ita ut velle purgari, naturali libertati superstiti relinquere. Hoc verò ipsum & nihil aliud est, expectare Deum, ut purgari velimus; quemadmodum etiam supra exposuimus.

NOTA LXIII.

Tertia: Sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus conantibus, &c. nobis misericordia confertur divinitus.

Tertia est, quod *sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, fidentibus, petentibus, querentibus, pulsantibus, nobis misericordia confertur divinitus; non autem ut credamus, velimus, velis ac omnia sicut oportet agere valeamus, per infusionem & inspirationem sancti Spiritus in nobis fiat.* Quibus verbis hoc Massilienses intendebant, quod Dei misericordia gratiam tribuens daretur hominibus credentibus, & volentibus, & illos actus exercentibus sine gratia Christi Salvatoris, qua ipsum velle, credere, desiderare, petere, &c. inspiratur. In his enim actibus meritum divinæ misericordiæ collocabant. Putabant enim non esse opus gratiæ Christi Salvatoris voluntati actus illos infundente ac tribuente, sed satis ad eos efficiendos robustum esse liberū arbitrium cum solo primi hominis adiutorio, quo donetur ei tantū posse si ipsū arbitriū velit, quemadmodū in præcedentibus à nobis paulò ante, & alijs locis ex professo explanatum fuit.

Hæc verò ipsissima est recentiorum sententia: quam ex professo in omnibus disputationibus suis hæc de re passim tradunt. Nec isto adhuc contenti ul' etius docent, non solum petentibus & volentibus cum illa Adami gratiæ, divinitus conferri misericordiam; sed etiam petentibus, desiderantibus, conantibus per solā naturalis arbitrii potestatem, sine ulla gratia etiam sine qua non, misericordiam tribui, & oppositum indignum esse misericordiæ Dei. Nam verba Iesu de faciente quod in se est per puras naturæ vires: *Maxime decere Deum, ut in primis in eos suam misericordiam effundat, qui ei impeditur non obediunt, & viribus naturæ recte uti conantur.*

27. 9. do ha
res res. 6. 6.
7. 6. 21.

In Epist.
Prosop ad
Aug.

Vid. Epi. 95.

Conc. Araus.
can. 4.

Conc. Araus.
can. 6.

Vide lib. 3.
de heres. Pel.
c. 6. & 7.

Et de gratia
efficacia 13.
43.